Toletana Decimarum

Super bono Iure.

Reu. Pater. SPerant insimul nostræ Sanctimoniales Monasterij S. Dominici, & enixis precibus supplicant prò noua Audientia aduersùs decisionem editam coràm R. P. D. Ponente in Rota diei 30. Iunij mox præterlapsi, qua, pessumdatà illa diuturnissima quasi possessione, in qua reperiebantur etiàm prò alijs septem Tenimentis, condemnatæ fuerunt ad solutionem Decimarum fauore Reuerendissimi Archiepiscopi, aliorumque Comparticipum; Non solùm enim decisio vnica est, & promulgata in vltima, peremptoriaque instantia, itaùt non ampliùs supersit aditus eiusdem Monialibus sua iura deducendi prò conseruanda huiusmodi libertate, sed quià reuera fundamenta laudatæ decisionis ad lancem posita non videntur subsistere.

Etenim prætermisso prò nùnc repetere illam immemorabilem consuetudinem, de qua deponunt Testes recentèr examinati anno 1702., & istorum relationes vindicare ab obiectis criticationibus, totam defensionem nobis sufficit restringere ad illud solemne Indultum exaduersò exhibitum, & concessum vsquè de anno 1364. à Rmo tùnc Archiepiscopo vna simul cùm Capitulo Toletano, ad instantiam, & supplicationem Sermi Regis Hyspaniarum, quo mediante Prouinciali Ordinis S. Dominici ità promissa fuit licentia construendi nostrum Monasterium, vt Moniales in illo profitentes esse deberent exemptæ à solutione Decimarum prò fructibus bonorum vsquè ad valorem vigintiquinque millium merapetinorum monetæ tùnc currentis, quod sanè Priuilegium, quod hodiè tanquàm à Parte Aduersa productum nequit ampliùs, proùt in præteritis, impugnari cùm indultum reperiatur in limine Fundationis, & respiciat ipsas Personas nostrarum Monialium, debet eis citrà dubium suffragari prò exemptione vniuersali propriorum bonorum vsquè ad præfinitam quantitatem, quæ eorum sumptibus excoluntur, & diuersimodè ab eis, quæ ab eodem Monasterio tradi solent in Coloniam, aut locationem iuxtà solemnem definitionem *Text. in cap. licèt de decim.*, cùm quo communitèr procedunt ibidem *Ancharan. num. 3., & Abb. num. 2. Suar. de Relig. tom. 1. lib. 1. cap. 19. num. 13., Barbos. de iur Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 26. num. 19., & 40. Cardin. de Luc. de Decim. discurs. 1. num. 30., Rot. in recent. decis. 145. num. 10., & seq. par. 11., & coràm Seraphin. decis. 827. num. 2., & seq., & coràm Millin. decis. 393. num. 1., & 2., & coràm Bichio decis. 505. num. 6.*

Non enim nouum est in iure nostro, quod in hac Decimarum materia diuersa methodo iudicetur de fructibus, proùt spectant ad Dominum Fundi Decimatorij, & proùt pertinent vigore Coloniæ ad Conductorem, seù Colonum partiarium, adeò quidem vt iste ex eorum parte fructuum soluere teneantur Decimas, à quibus Principalis Dominus est omninò immunis, vt rectè prosequuntur *Vitalin. in Clement. 1. de Decim. num. 20., & seq., & Imol. num. 13., & 14., Monet. de Decim. cap. 5. quæst. 1. num. 2., & 13., & cap. 6. quæst. 4. num. 39., & seq., Suar. d. cap. 19. sub num. 13., Rot. dicta dec. 145. num. 9. par. 11. rec.*

Videtur verò extrà controuersiam, quòd indultum, de quo modò agimus, fuerit personale, non verò reale, quia hoc clarissimè nobis indicant eius verba relata in *nostro Summario Additionali num. 1. litera II., & litera KK.*, cùm sempèr directa noscantur ad Personas earundem Monialium, non autèm ad Bona, quod vnicè inspicitur prò constituendo priuilegio in qualitate exemptionis Personalis ad differentiam realis, quæ exigeret, vt verba principalitèr referrentur ad ipsa Bona iuxta clarum *Text. in l. 1. §. Personis ff. de iur. Immun., & in l. Forma §. Quamquam ff. de cens.*, & distinguendo tradunt *Anan. cons. 20. num. 1., Syluan. cons. 4. num. 13. Arias de Mes. var. resol. lib. 2. cap. 27. num. 1., & 2., Mans. consult. 649. num. 3., Rot. coràm Seraphin. decis. 827. num. 2., & coràm Bichio decis. 528. num. 3., & in recent. dec. 400. num. 14. par. 9.*

Et hoc ipsum magis magisque fuit declaratum ab ea vlteriori circumstantia, quod vigore nostri Indulti exempta non noscuntur certa, & determinata corpora Bonorum, sed in genere tantùm donata fuit Immunitas nostris Monialibus à solutione Decimarum prò bonis acquirendis, tanquàm prò dote Monasterij nouitèr erigendi vsque ad præfinitam quantitatem, nempè vsque ad valorem 25000. merapetinorum; Quo casu nil aliud quæri solet prò statuendo, quod Priuilegium prò ea quantitate sit Personale, non verò reale, vt cohærenter docent *Alexand. cons. 86. n. 1. lib. 1., Fulgos. cons. 222. circà fin. Crauett. cons. 239. num. 4., Papon. cons. 7. num. 12., & seq., Boer. decis. 227. num. 17., & 18., Rot. cor. Bichio d. dec. 505. num. 6.*

Supposito itaquè, quòd Moniales virtute dicti antiquissimi Priuilegij debeant manuteneri in concessa exemptione à Decimis prò bonis proprijs expensis satis vsquè ad dictum valorem, in nihilum officit, quod possideant tot tenimenta, quæ præfatum valorem possint superarre; Siquidèm iuris præsumptio eisdem assistit, vt præfata bona non excedant Statutum valorem saltèm prò ea parte, qua illa colunt proprijs sumptibus, idque patefecerunt ipsimet Canonici deputati à Reuerendissimo Archiepiscopo, & Capitulo anno 1378., & sic decem annis post publicatum dictum Priuilegium: Illi enim procedendo ad æstimationem Bonorum, quæ Monasterio in dotem fuerant assignata, comperierunt Moniales vix possidere bona ascen-

ascendentia ad decem, & nouem mille, & quingentos merapetinos; Vndè palàm in gratiam veritatis enarrarunt non adhùc possidere integram Bonorum summam, quæ enunciatum valorem attingeret; Quapropter non ex hoc, quod illarum patrimonium auctum fuerit, asseri poterit excedere hodiè valorem aliorum 8000. merapetinorum, qui deficiebant vsquè ad implementum eorum Priuilegij, quia in hoc figurato casu, quod ista bona dictam quantitatem excessissent, certo certius Reuerendissimus Archiepiscopus & alij Decimatores tandiù non tolerassent, quod Moniales istas prætensas Decimas non soluissent, nequè neglexissent eas exigere ad ratam illorum bonorum, quæ hunc valorem superassent, vt benè arguunt *Surd. cons.366. num.14., Rot. coràm Gregor. dec.502. num.10., & coràm Cels. decis.190. num.5., & 6., & coràm Emer. iun. dec.40. num.8.*

Quod si vrgentissima est de per se ista negatiua obseruantia procedens ex facto, licèt negatiuo eorundem Aduersariorum dùm nunquàm Decimas potuerunt exigere ex Tenimentis nostri Monasterij, quià vix aliàs esset præsumibilis tanta tolerantia, & negligentia in tuitione proprij iuris per ea, quæ obseruant *Menoch.cons.622.num.17. vers. cùm præsumptio sit, Caren. var. resol.resol.9. n.1., Rot. in rec. decis.235. num.3., & seq. par.15., & post Cardin. de Luc. dec.18. la seconda num.17. lib.8. tom.3.*: Valdè libentiùs hoc admittendum est in nostra hypothesi, quià sub contraria intelligentia nimis damnabilitèr interuerteretur ipse ordo Iudiciarius, qui iuxtà familiares regulas nil adeò frequentèr inculcat, quàm quod, vbi quis compareat in iudicio in figura rei, & multò magis vbi reperiatur in possessione non soluendi, cogi nequeat ad probandum, quod bona possessa sint intrà valorem, prò quo loquitur Priuilegium iuxtà *Text. in l.cogi Cod.de petit. hæredit.*, sed hoc onus refunditur in eosdem DD. Aduersarios, qui gerunt figuram Actoris, & quousque eorum incumbentiæ non satisfaciant semper nostro Monasterio satis est allegare, quod Bona ab eo possessa, & quę proprijs expensis colere consueuerunt, & prò quibus tantum excipiunt de exemptione non excedant valorem eis permissum iuxtà alium *Text.in l.final. Cod.de rei vind.*, & probant *Menoch.de præsumpt.lib.6.præsump.64. n.4., Lotter.de re benef. lib.2. qu.42. n.24., & seq. Rot. cor. Duran. decis.74. num.45., & seq., & cor. Bichio dec.472. num.27., & post Cardin. de Luc. decis.25. num.1., & 2. libr.13. tom.4., & in Mediolanen. Beneficij 7. Iunij 1715. §. Aliquid coràm Reuerendissimo Crispo.*

Hinc parum releuat, quod nostri Testes sint varij in aliquibus, nec identificent partem Tenutæ de Oleas, verè per tempus longæuum excultam sumptibus Monasterij, vnde ostendi nequeat tam pro d. Tenuta, quàm pro alijs, quæ sit pars exempta, & libera à solutione Decimarum generaliter debita Reuerendissimo Archiepiscopo, alijsque Comparticibus, vt inquit contraria Decisio §. *Potissima cum sequ.*

Etenim hoc obiectum vrgere posset, vbi versaremur in Priuilegio reali, tunc enim cum illud non afficeret nisi specialia Bona, in quorum tutamen fuerit concessum, non posset vlla exemptio promoueri nisi designaretur veluti digito, quæ pars esset exempta necnè, & ratione incertitudinis suffragaretur Decimatori vniuersalì ius generalitèr ei assistens pro exactione omnium Decimarum; Non ità tamèn definiri valet in casu nostro, vbi agimus de exemptione personalitèr decreta fauore nostri Monasterij, & indulta intuitu earumdem Monialium in actu erectionis illius ad ratam, & vsque ad valorem 25000. marapetinorum, quia in hoc thèmate exemptio non heret ipsis Bonis, sed personis earumdem Monialium, vt eo priuilegio vti valeant pro omnibus bonis, quousque designatum valorem non excesserint, absque eo quod reddenda sit ratio, quo loci illa sita sint, vt supra probauimus.

Et in omnem pessimum casum nil aliud exaduerso prætendi posset, quàm quod procedatur ad æstimationem Bonorum faciendam mediante opera Peritorum, quæ de stylo demandari solet à Supremis Tribunalibus, vt testantur *Card. de Luc. de Iudic. disc.33.num.37., Monac. decis. Bonon. 12. num. 100., Rot. in Recent. decis. 253. numero 20. & decis.278. num.7. par.4. tom.2. & decis. 52. numero 9. par.7. & decis.32. num.15. & seq. par.10.*; Quique Periti referre deberent tàm super valore illorum Bonorum, quæ hodiè per nostrum Monasterium proprijs sumptibus excoluntur, quàm super pretio merapetinorum currentium de tempore factæ concessionis, iuxtà regulam *Text. in cap. Ad aures de reb. Eccles. non alien. & in cap. Cum causa, ibique Glos. verb. tunc volentis de empt. & vendit., Andreol. controu.390. num.11., Bonden. collect. legal. 20. nu. 369. tom.2., Cyriac. controu. 453. num. 62. & seq., Vrceol. consultat. 3. num.26. & 27., Giurb. decis.105. num.2., Thomat. decis.50, num.7. & 8., Rot. coram Dunoz. Iun. decis. 400. num. 10. & 11., & post Constantin. ad Statut. Vrb. decis.160. num.8. & 9.*

Ex quibus facillimè occurritur alteri responsioni, quæ in contraria Decisione datur, quod scilicèt noster titulus non respiciat generalitèr exemptionem pro omnibus Bonis, quia vt semper protestati fuimus, ex parte nostri Monasterij nunquam fuit prætensa generalis exemptio pro omnibus Bonis, sed solùm pro eis, quæ proprijs expensis coluntur, & vsque ad limitatam quantitatem 25000. merapetinorum, & sic intrà mensuram tantummodò nostri irrefragabilis Priuilegij, quod aliàs de directo vulneraretur quando omnia Iura clamant, vt eius tenor semper, & ad vnguem sit obseruandus, ad *Text. in cap. Porrò de Priuileg., Pignattell. consult. Canon. 12. sub num.9. tom.10., Rot. in Rec. decis. 791. num. 1. par. 3., & in Nullius, seù Fulden. Iurisdictionis super bono Iure 27. Ianuarii 1713. §. Ac propterea coram bo. me. Ansaldo, & in Frisingen. Iuris deputandi Curatos 24. Martii eiusdem anni §. Prænoscentes coram eodem.*

Ci-

Citrà quod opus hodiè sit reuocare ad examen, an obseruantia negatiua, quæ assistit nostro Monasterio, concurrat cum necessarijs requisitis, petitionis scilicèt ex parte Archiepiscopi, contradictionis nostrarum Monialium, & subsecutæ acquiescentiæ; Quia, præterquamquod non sumus in præscriptione ordinaria, quæ completur curriculo triginta; vel quadraginta annorum, sed in consuetudine nimis diuturna, & immemorabili, vtpotè attingente metam duorum sæculorum, adhùc tamen nimium vrgens hæc obseruantia obtinet præsidium à titulo, quo illa fulcitur, quique scatet à toties memorato Priuilegio, vndè quærendum non est de bono Iure præscribentis, sed sufficit, vt ex eo elijciatur bona fides, & quoddam iustum velamen, cuius vmbra tegitur, & nutritur, iuxtà egregiè notata per *Felin. in cap. Si diligenti sub num.* 12. *vers. considera benè de præscript., Card. de Luc. de Decim. discurs.* 17. *sub num.* 8., & meliùs *Rot. coram Gregor. decis.* 289. *per tot., & coram Coccin. decis.* 295. *num.* 3. *& seq. & coram Emerix Iun. dec.* 731. *nu.* 13.

Quinimò cum nostrum Monasterium non contendat de præscribenda illimitata exemptione ab omnibus indefinitè Decimis, sed vt diximus restrictiuè ad determinatam quantitatem illorum Bonorum, quæ proprijs sumptibus colere solet, & intrà mensuram dictorum 25000. merapetinorum maiorem promeretur indulgentiam, quia iuxtà receptiorem sententiam Doctorum consensu, & Tribunalium auctoritate roboratam admittitur sola consuetudo quadragenaria, quantumuis nullo suffulta remaneret iuridicò titulo, vt segregando terminos vnius, & alterius casus tuentur, *Couarruu. var. resol. lib.* 1. *cap.* 17. *sub num.* 8. *§. Decimo his omnibus, Leo in Thesaur. for. Eccles. par.* 2. *cap.* 12. *num.* 46., *Rot. coram Royas decis.* 391. *num.* 5. *& coram Bich. decis.* 633. *num.* 1., *& post Card. de Luc. lib.* 13. *tom.* 2. *decis.* 19. *num.* 7. *& seq.*

Sicque vt ista omnia maturiori iudicio discuti queant in vlteriori, & fatali propositione Causæ, aliud non remanet, quam quod annuatur instantiæ nostri Monasterij mediante noua Audientia, pro qua iterùm exoramus.

Quarè &c.

Pompeius de Iocosijs Aduoc.

R. P. D.

FALCONERIO


Toletana Decimarum super bono Iure.

P R O

Ven.,& Regio Monasterio Monialium clausarum Ordinis S. Dominici Ciuitatis Toleti.

C O N T R A

Illmos DD. Archiepiscopum, & Capitulum Toletanum.



Iuris pro noua Audientia.

Typis Zinghi , & Monaldi 1724.